



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Praeceptvm Septimvm. Non Fvrtvm Facies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

R. P. MARTINI LVThERII DE X. PRÆCEP-
tis supra dictum est, qua nemo caret in hac uita, sed tamen hoc
ipso saluamur, quod ei nō consentitur. ut Ro. vi. Neq; exhibea-
tis membra uestra seruire peccato, ut obediatis concupiscentijs
eius, quanq; enim lex dei immaculata requirit, ut prorsus nulla sit
cōcupiscentia, sed tota & omnino immaculata mundicia, tamen
misericordia dei, interim sustinet & gratiā habet diffensionē no-
ui hominis intus, ne dominetur nostri omnis iniustitia, Hęc
iugiter est mortificāda, gemitu, uigilijs, labore, oratione, humi-
liatione, & alijs partibus crucis, tandem ipsa morte. Ex quibus
oibus patet, qd hoc præceptum nō solum nō est negatiuū, nisi
si in facie tantū uerborū & litera, sed maxime affirmatiuū, quia
præcipit, scilicet Castitatem & continentia purissimā intus & fo-
ris, quis aut sapiat tam stulte, ut castitatē neget esse rem affirma-
tiua: sed negatiue præcipit, dum prohibetur libido, ut purissima
sine omni mixtione libidinis præcepta intelligat. ut Psal. xi. Elo-
qui dñi, eloquia casta, argentū igne examinatū, probatū terræ,
purgatum septuplū. Ac per hoc iam patet, quō per legem fit co-
gnitio peccati, quia concupiscentiā nesciebam esse peccatū, nisi
lex diceret, non concupisces, Ro. vij. scilicet quia solum opus pe-
ccatū putabatur. Igitur non satis est, ut opere nō mœcheris. non
satis, quod uerbo sis pudicus & aspectu aut alio quouis signo,
imo nec hoc satis, qd corde non consentias, nisi etiā tandem pu-
rus fias ab ipsis moribus malis, intus ebullientibus, ideo non ni-
si gemitus pro gratia dei superest, cum Apostolo Ro. septimo.
Infelix ego homo, quis liberabit me de morte corporis huius.

Præceptum 7^m

PRÆCEPTVM SEPTIMVM.
NON FVRTVM FACIES.

Audiimus qd præceptū quintū, Non occides, prohibuit of-
fensionē proximi in sua propria persona. Sextū aut, Non
mœchaberis, offensionē eiusdem in psona sociali, eadem
carne. Et utrūq; tam in opere q̄ corde, tam affectu quam effectu.
ita ut satis constet, quod spiritualis intelligentia istorū præcepto-
rū negatiuorū, sit ista affirmatiua, ut mites & casti simus, intus
& foris, prorsus sine omni, tā amaritudinis iræ, q̄ dulcedine cō-
cupiscentiæ. Quæ duo sine charitate spiritus haberi prorsus nō
possunt, quia sunt fructus spiritus, i. Corinth. xij. & Gal. quinto
Ideo plenitudo legis est dilectio. Hęc em̄ est mitis & nulli nocet,

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

imo oibus prodest, & pdesse cupit, Est etiã casta & sancta, ideo neminẽ polluit. Sequit̃ nunc phibitio offensionis in rebus proximi, qđ æque sine charitate fieri nõ potest, saltem in spiritu, Vnde & hic quoq; notandũ, qđ hoc præceptũ dupliciter intelligit̃.

Primo ad literam & secundũ sonum uocis, sic solummodo opus ipsum furti, hic prohibetur, quia dicit, Non facies furtum, non utiq; ait, Non doceas, non ostendas, non cupias, sed non facies, sic ludæi intellexerunt, & superbi facti sunt in iustitia sua, tanq̃ non essent rei præuaricationis. Vnde cum ipse Lucae xvi. huius præcepti uerã daret intelligentiã, dicens, Nõ potestis deo seruire & mammonæ. & facite uobis amicos de māmōna iniquitatis, audiebant hæc omnia pharisæi, qui erant auari, & deridebāt eum. & ait illis, Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud deum, Ecce quomodo corda requirit in iustificatione præceptorũ suorum. deniq; sequitur ibidem, quomodo spiritualis sit lex, d. Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, Ex eo regnũ dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit, facilius est autem cœlũ & terram præterire, q̃ de lege unum apicem cadere. Ecce uiolentia opus est in dei præceptis, quia tantum cortex uerborum, sed nec unus apex præteribit &c.

Secundo ad spiritum & secundũ intentionem præcipientis, sic omnẽ cupiditatem hic prohibet cordis, ita qđ sit impossibile impleri illud, nisi sis pauper spiritu, ut Matth. v. Beati spiritu pauperes. proinde in psalmis, proprio uelut nomine, fideles Christi uocantur pauperes. psalmo ix. Dum superbit impius, incenditur pauper. Et iterũ, Et factus est dominus refugium pauperi, & quoniam nõ in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperũ non peribit in finem. Igitur spiritus huius literæ, est paupertas in spiritu quare manifeste patet, quod sine gratia dei nullus implet hæc legem, cum sit homo naturaliter cupidus uicio primi peccati.

Corollarium sequitur.

Quod legis huius in litera impletio, est nihil aliud, nisi decipula quædã, ut psal. v. Quoniã non est in ore eorũ ueritas, cor eorũ uanũ est. Heb. sic, Quoniã non est in ore eorũ rectum (quia docet scilicet umbrã & literã operis tantũmodo in pcepto) interiora eorũ insidiã (quia decipiunt, dum sese iustos credunt, falsi specie

operū, ut nō agnoscat malū suae cupiditatis) ideo nō gemunt p
grā nec peccatū cōfiteñt, sed stant securi, ideo Ro. ij. cōtra eos die
cit, Qui doces nō furandū, furaris scilicet cupiditate, licet nō ope

Iuristae aut hoc praecipit non adeo late exponit, sed manent
in limitibus furti, verū coram deo, quicquid agit voluntas, faces
re dicitur etiam, si opus nō sequatur. Scrutatur enim deus renes
& corda, psal. vij. Ideo nos in totā latitudinē opegeamus, quae
cupiditas perficit, sed heu quanta est latitudo deus bone. Quis
enim auaritiā & specierū eius vituperia nō audiuit? Igitur pri
mū opus est secundū sonum textus, ipsū furtum, hoc rursum
in quinque species scilicet furtū simplex, sacrilegiū, peculatus, abie
geatus, plagiatus, de quibus Iuristae. Nam hoc praecipit secundū
literam copiosissime & diligentissime tractant in omnibus spe
ciebus, teste proprio eorū sermone, qd iuridica facultas sit de pa
ne lucrando, tolle meū & tuum, & nullo iure opus fuerit, & fa
ne infinitū negotiū praebet ista cupiditas hominibus eiusmodi.

Igitur furtum est rei alienae usurpatione, domino inuito & igno
rante, qd si sit in rebus priuatorū, est furtū simplex, si in rebus sa
cris, sacrilegiū, si in republica, peculatus, si in ablatione iumento
rum & pecorum, abiegatus, si in ablatione hominū, plagiatus.

Hos quinque gradus dire puniunt leges hodie, ut notum est. O
lim uero in lege furtū non puniebatur ultione mortis, ut Exodi
xxij. sed pro oue una quatuor, & pro boue uno quinque redde
bant, si tamen uendiderat aut occiderat. Si aut adhuc integra ap
ud eum reperiebantur, duplum tantū reddebatur, quod si red
dere nō habuit, ipse uenundabatur. Haec certe lex adhuc bona es
set, nimis enim rigidū est, ne dicam iniquū, pro rebus uitā aufer
re, & animā pro uictu tolli. Nōne corpus melius est q̄ uestimen
tū, & anima plus q̄ esca? Vnde & Prouer. vi. legem Mosi secutus
ait, Non grandis est culpa, cū quis furatus fuerit, & hoc est uerū,
si solum fuerit furtū. Vnde sequitur quale intelligat furtum, d. Fu
ratur enim, ut esurientem impleat animā, deprehensusq; reddet
septuplum, & omnem substantiā domus suae tradet, & liberabit
se (qui autem adulter est) propter inopiam cordis, perdet animā
suam. At adulterium hodie mitissime plectitur, magna certe ini
quitate furti intensa poena, quae potius laxari debuit quam adul
terij, maxime furtum, quod inopia corporis facit & penuria,

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

Porro sacrilegiū adhuc atrocius omnibus punitur, scilicet ro-
ta, cum tamē sit eadem res sacra & prophana, quo ad preciū &
usum, uerum reuerentia sacrōrū neglecta, tam acriter castigatur
Sed & hic superstitiosissimus est præsidentiuū rigor, qui nihil ita
fulminant, atq; execrantur, ut regularū suarum, reddituū, possessi-
onū, auri scilicet & argenti usurpatores. hic sunt centies Argi,
& quidem uigilantissimis uigilantiores. Vex quod interim tot
millia negligentur animarū, quod stupris, adulterijs, reliquisq;
libidinū portentis, totā scēdant ecclesiam, præter insatiabilis aua-
ritiæ auernum cū simonijs suis ac dolis & fraudibus infinitis, ne-
mo punit, sed potius honorantur qui faciunt. An forte ideo le-
uiores tam grauitate puniunt, qđ tam graua non ad illos, sed ad
deū pertinent grauissime puniri: Et id certe credo uerū, qđ deus sibi
uindictā seruat eo duriores in grauissimis, quo ipsi grauiorē
exercent in leuioribus. Quanto tutius agerent, ut furibus & sac-
rilegis parcerent, sicut sibi uolūt parci a deo. At si illis parcerent,
iam certe ipsa penuria cogerentur & ipsi melius uiuere, non par-
cunt igitur, ne sibi quoq; parcat apud deum, sed sine illos, cæci
sunt. De reliquis tribus furtis remitto ad Ciuiles iuristas.

Secundū opus, est latrocinium, quod a furto ea differt grauitate
quod non ignorante domino, sed præsente & manifesta ui ra-
pit alienū, tamen magis raptores q̄ latrones ij uocandi sunt, qđ
latrocinium inuoluit homicidium. Hoc peccatum autem nunc decus
& titulus est nobilium, & in illis quandoq; puniuntur, qui sese
defendere nequeunt aut resistere. Satis hoc peccatum negotiato-
res, & grauitatē eius nouerunt, qui ex eo aliquando doluerunt.

Tertium opus, est usura, de quo Cato Censor Romanus, fures
priuati in neruo & cōpede uitā agūt, publici uero in auro & pur-
pura, unde usurarius sanguisuga populi dicit. Et similitudine de-
scribit tali, ut uermis in pomo uel nuce, totū intus uastat, ita usu-
rarius substantiā ciuitatis deuorat, miris & occultis modis, quo
uitio adeo Iudæi laborāt, ut etiā sibi licere, imo iuberi ex lege pu-
tent, ubi dicit Deut. xxij. Non scēnerabis fratri tuo ad usurā pe-
cuniā, nec fruges, nec quālibet aliē rem, sed alieno, fratri autē tuo
absq; usura, id qđ indiget, cōmodabis. hoc Iudæorū duritiæ tūc
pmissum fuit, ut eo libētius abstinerent ab usura in Iudæos, quo
licentius potuerunt in gentiles. At Christiani nō paruo gradu

R. P. MARTINI LVTHERII DE X. PRAECE

Peiores sunt iudæis, qđ etiam fratribus suis scenerant, & tam frequens hoc malū, ut etiā inter raras iusti laudes ponat. Psal. xiiij. Qui pecuniā suam nō dedit ad usurā, quod si abstinent multi, timore abstinent, nō corde. Auaritia em̄ pestis est profundissima. Quartū est fraus in negotio. de q̄. i. Tessa. iij. Ne qs circūueniat in negotio fratrem suū, qm̄ uindex est deus de ijs oībus, sed hoc tā latū est, ut nunc nō possit p̄ singula discurre, quō em̄ singula artificia & negotia cū suis excessibus, medijs, defectibus cōmemorē

Idcirco oībus in genere illa regula charitatis seruanda est, quā dominus Matt. vi. ponit. Quæ uultis ut faciant uobis hoies, & nos facite illis, quare in omni tractatu necessariū est unicuiq; ut prospiciat prius quō secum uellet agi, si esset in alterius loco, ita faciat & ipse, & tutus erit, hæc uocatur lex naturæ, imo & charitatis. Charitas enim est, quæ cōsyderat quæ sunt aliorū, & prius inspicit, quid sibi uelit fieri, ut sic faciat proximo. ideo enim dñs addidit dicens, Hæc enim est lex & prophetæ, scilicet lex & prophetæ sola charitate implent̄, ideo si est lex naturæ, est naturæ sanæ & incorruptæ, quæ idem est cū charitate. Qui aut̄ hanc regulam præterit facile etiā fraudem perficit, anteq̄ aduertat, quoniā periculū fidei est in oī negotio, nisi ui aliqua seruet̄ & industria.

memoratus quid
At quāta est hodie fraudis copiar: omnis domus & platea plena est, & omnes de ea querunt, Nam & rustici alioqui rudes, ad fraudē sunt instructissimi. Et sane hoc unū etiam præceptū satis indicat, quid sit mūdus, cū sit non nisi rapina mutua rerū. Et qđ magis dolendum est, ea nunc consuetudine fraus agitur, ut ne conscientiam quidem inde patiantur, quin bene se fecisse sibi uideantur, si alter alterum illuserit & imposuerit, Sed uæ mundo.

Igitur tu curte per singula officia artium, & numerata fraudes, cum quotidie excogitentur nouæ, ut sit periculi res plenissima, cum hominibus agere. lucem uertūt in tenebras, & tenebras in lucem. deniq; obtinuit, ut omnes uenditores pluris exponant, & emptores minoris accipiant, q̄ res sit in proprio precio, scilicet, quia usu fallendi mutuo, nullus alteri credit primis uerbis.

Quod autem dictū est de operibus huius præcepti, & de spiritali intelligentia eius, quod scilicet paupertas spiritus, sit eius uera intentio, ut mortificet insatiabilis illa bestia, auri sacra fames, auaritia, philargyria, & cupiditas, radix oīm malæ, ut Apосто

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POP VLARES

lus ait , quæ infinitos hodie laqueos tetendit & auget semper, nō intelligendū est de paupertate in effectu, sed affectu. Nam & mendici ac religiosi possunt esse ditissimi cupiditate & auaritia interna, maximiq; fures corā deo, dum inuident habentibus & cupiunt eorū facultates. Et Apostolus uocat hoc uitiū idololatriam, sicut Psal. lxxvij. dicit, quod serui erunt sculprilibus Canaan id est, denarijs, Nam Canaan mercator & negotiator dicit, cuius sculprilia quæ alia possumus figurata credere, q̄ aurum & argentū signatum, monetatū & cōstatum. Deniq; quod sint cultores auri & serui eius, etiā Psal. lxxv. habet, dicens, Et nihil inuenerunt oēs uiri diuitiarū in manibus suis, Non ait, diuitiæ uiroꝝ, sed uiri diuitiæ, ut possessos uiros, possidentes diuitias intelligas, illi seruiat, istæ seruant, ideo illi serui, istæ dñæ. Igitur ut cōcludamus (cum sit oībus notissimū hoc uitiū) breuiter hoc p̄ceptum impletur, si non solū ex opere abstineas, imo nec satis est, corde nō cupias, nisi & æquissimo animo feras, tua tibi auferri, nam nihil prodest, si aliena non cupias, tua autē impie diligas. Si cut in quinto p̄cepto , in seipsum quis potest occisor fieri, etiā si nullū alium occidat, aut nemini sit iratus. Et in sexto, cum propria uxore adulter esse, ut dictū est, ita & in proprijs rebus etiam fur & auarus esse poterit, dum nimis tenaciter diligit sua. quanq̄ qui seipsum occidit, quis eū credat non etiā aliū occisurū esse, aut uitā ei saltē inuidere? Et qui cū propria coniuge abutiū libidine, quis p̄sumat qd non alienā polluat saltem concupiscentia, cū sit totus libidine furens? Ita qui sua nimis diligit, quis credet, qd non etiā aliena cōcupiscat? Igitur neuter esse debet in bonis quibuscunq; si abeunt, ne tristet, si ueniant, ne læretur, secundū illud Psal. lxi. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite cōcupiscere. diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere. Hoc autē uitiata natura nō habet, sed optet illud in Ch̄o haurire, q̄ p nobis paup factus est. Immo nec hoc gradu sit cōtentus, sed uideat etiā, ut de suis bonis, magis uelit alijs impartire, q̄ aliena concupiscere. nā hoc habet charitas, quæ sola est impletrix legis, ut non solū longissime abstineat a rebus proximi, sed etiā proxima fiat conferendo res suas, si potest cōmode, nam id sine dubio quilibet sibi fieri uellet scilicet ut sibi tribueret, & nemo sua cuperet, sed oīa candide fauerent. Nec potest regula melior tradi in hoc p̄cepto, tam perple

R. P. MARTINI LUTHERII DE X. PRAECE

xis negotijs dato, quā ut qlibet, in quocūq; negotio cū proxio egerit, ante oīa corā oculis ponat hoc dictū Christi, scilicet spirituale interpretamentū omniū p̄ceptorū, Quod multis ut faciāt uobis hoīes, & uos facite illis. Et illud Thobiæ, Qd̄ tibi fieri nōlis alteri ne feceris, hoc em̄ aspecto facile quiuis erudiet, quid & quō agere debbit in quocūq; casu huius latissimi p̄cepti. Nam si tibi faues diuitias, nō aut̄ proximo tuo, iam nō habes charitatē, sed cupiditatē, & peccasti in hoc p̄ceptū. Es em̄ fur corā deo quia id, qd̄ proximo debes, scilicet fauorē rerū, abstulisti ab eo.

Ex qbus patet, q̄ multi detestent̄ fures & furta, ipsi multo maiores, cū sine gratia nullus sit, cuius cor nō inquinet̄ auaritia, uerum illos fures strangulat impator, hos uero ipse p̄det oīm creator. Vnde nec istud p̄ceptū pure est negatiuū, imo affirmatiuissimū, scilicet, ut sit homo largus, facilis, liberalis in proximū qualis esse nō potest, nisi sit purissimus a furto in spiritu, ideo negatio illa expressior est q̄ affirmatiua, cū possit aliqs esse quidē liberalis, ut in statu incipiētū, sed tñ nō sine cupiditate, ideo nō dum p̄fecte legis huius impletor, q̄ debet esse purissime liberalis

De lusoribus etiā quærit̄, an sint fures, & ad restitutionē tenent̄. Quod lusores cupiditate & auaritia peccent (qui saltē propter lucra ludunt) ac per hoc corā deo fures sint, alienæq; facultatis appetitores, manifestissimū est. Nullus em̄ cum alio ludit, ut sua illi tribuere uelit (id enim sine ludo facere potest) Nec ut sua amittat, nec ut alienū uelut suum quærat lucrū, ac per hoc ludus semper est contra charitatē, & secundū cupiditatē, quia quærit quæ sua sunt cum damno alterius, & saltē non ita quæ sunt alterius, sicut quæ sua sunt. Attamen non tenent̄ ad restitutionem, quia corā hominibus non rapit, nec usurpat rem alienā inuito domino, sed consentiente per pactū ludi, uterq; em̄ ponit sua in periculū sciens & uolens, ideo qui amittit, scienter & uolenter amittit, lex em̄ iustissima est, ut qui amat periculū, pereat in illo, nisi forte per fraudē luserint. Optima tñ p̄cena foret, si posset fieri, ut uterq; amitteret, hoc em̄ esset ius ludi uerū, quia uterq; cū piculo suo, cupiditate erga proximū exercet. Aut certe, ut fiscus principalis utriq; tolleret lucrū, eo q̄ cōtra edictū & Canonē ecclēsiæ agant ludendo. Quod autē non sit necesse restitui, patet, quia non esset alia causa, nisi quia cum peccato & contra legem

PTIS DECLAMATIVN CVL AE POPVLARES

acquiritur lucrū eiusmodi. sed si omne tale est restituendū, quod cū peccato acquiritur, iam etiā meretrices, imo omnia alia mercatorū & negotiatorū, quæ mendacijs, periurijs (seclusa tā fraude erga proximū, & dolo in re, quæ tractatur) cupiditate uendūtur & emuntur, essent restituenda, q̄d est absurdissimū. quia inijs nō est facta iniuria proximo, sed deo & legi, ideo tenet ad restitutionē, non rei acquisitæ, sed uoluntatis suę malæ, quā ibi expleuit. q̄d fit per cōtritionem & pœnitentiā. Eodē modo de sacerdotibus & religiosis, uel nō orātibus seu satisficientibus, uel pluralia bñficia possidentibus, nō tenent ad restitutionē, sed ad pœnitentiā de abusu, quia Papa habet potestātē illa bona conferendi, tu tantūmodo uideris. q̄ imperras uel te ingeris. olim traherant fugientes ad sacerdotia, ideo a populo diligebant, nunc irruūt retrahente populo, ideo odiunt. sed hæc auaritia hodie horribiliter crescit in beneficiorū occupatiōe. at si sine fraude impetrent, nō est restitutio faciēda. Quāq̄ sine fraude seipsum ingerere, p̄fertim ad officia curarū, nō uideat̄ satis possibile. fraudatur em̄ Papa & populus, si nō fuerit talis, qualis requirit̄. At quis hoc de seipō audeat affirmare: & tñ nō pudet p̄ seipō supplicare

Tandē & cōtractus reemptiōis in magnū damnū totius mundi nunc auaritiæ seruit, cū ideo census emanant, ut lucra augescant & certa fiat substantia sine labore & periculo, nō ut deo liberius seruiāt, aut necessitati prouideāt, cum tñ intentio Papæ fuisse & esse uideat̄, nō ut otio uacent, nam labor & sollicitudo oībus imposita sunt. Gen. iij. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et Job v. Homo natus ad laborē, sicut auis ad uolandū. Igitur aliquot causas assignemus iuste census emendi, si scilicet sunt primo senes, pueri, infirmi. ij em̄ satis habent laboris ex ipsa uita sua. Secundo, Si sunt alio labore occupati. s. qui deo seruiūt, ut religiosi sacerdotes, p̄lati, studio, uerboq; dei uacātes, Et q̄ cōmunitati seruiunt, & alienæ necessitati, ut Principes, senatus, p̄sidentes oppidis, uillis. Alioquin si deus unicuiq; secundū suū laborē redditurus est, quid recipient otiosi, qui pecūnia sua nō nisi ad lucrū, lucro nō nisi ad oriū, otio nō nisi ad delicias, delicijs, nō nisi ad peccatū abutunt̄: Nō ergo illi sunt securi, qui tantūmodo sibi seruiunt census emptis. Nō q̄ emere cēsus adeo sit malū, sed q̄ auaritiæ in hoc seruire nec aliud q̄ diuitias securus q̄rere peccatū est.

climax.